

ORATIO
DE LAVDIBVS
HENRICI IIII.
CHRISTIANISSIMI
Regis Galliæ, & Nauarræ.

FRANCISCO BOCCHIO AVCTORE.





FLORENTIAE,


Apud Bartholomæum Sermartellium, & fratres.

M D C X.

PERILLVSTRI, ET REVERENDISSIMO D.

DOMINO SEBASTIANO GALIGARIO,

Monasterii Maioris in Gallia Abbati,





VOD valde summo viro optandum est, habes, vir amplissime, facultatem, qua virtutem tuam explices, & nomen tuæ familiæ illustres. Est illa insignis sua sponte, sed rerum maximarum occupationibus quotidie per te aliquid addet, quamobrem augeatur magis, magisq; etiam excellat. In summi animi viro (vt tibi vsuenit) vera virtus minimè dormitat; sed laudibus incitata miros amores summi acquirendi decoris, atq; egregios exuscitat. Summa facultas in optima voluntate vocat te ad vim virtutis quotidie exprimendam; hortatur, ne tibi desis; &, vt viris principibus istam virtutem probes, admirabili quodam modo te inuitat. Auctus enim benignitate Reginæ sacerdotio amplissimo, quantum potes vigilantia, & moribus sanctissimis omnium expectationi nauiter respondes. Splendidis meritis Eleonoræ, lectissimæ mulieris, sororis tuæ, in maximam es euectus dignita-

tem ; atq; iis præsidiis munitus quicquid est gloriæ oblatum, admirabili quodam modo excipis, & auges. Hoc sacro congiario donatus, vt summis viris mos est, dignitatem antiqui tui stemmatis magnificè amplificas, tuorũq; maiorum decus locupletas. En præstò est tibi opportunitas, vt hanc familiæ tuæ dignitatẽ illustres, & te ipsum disciplinis clarissimis amplifices. Nusquam igitur offendes, numquam errabis, si Regium iudicium inspicies, numquam labêre, si tuorum, qui in hac vrbe floruerunt, merita spectabis. Vtinam magis opportunis, magisq; etiam lætis temporibus te appellare possem; mihi crede, efficeret res ipsa, vt meus in tuã dignitatem animus gratior esset, & illustrior. Multò tibi, quàm mihi, melius virtus clarissimi Regis nota est, multoq; poetarum, atq; oratorum; quàm apud nos est, istic in Gallia prouentus copiosior est; gẽs igitur liberalis, & comis animi mei propensionem tam graui in negotio agnoscet, vt opinor, & quicquid est propositum, grato animo accipiet, &, ne omnia excutiat, libenter, si quid erit offensum, conniuebit. Has meas lucubrationes si leges, dum nobilibus artibus te exornas, & mihi gratum facies, &, vt in te colendo semper aliquid addam, facilè perficies. Tuis præterea suauissimis moribus, nobilissimisq; virtutibus incitatus hanc orationem de laudibus Henrici IIII. idcirco tuo nomini dicaui, vt, si fieri potest, dolorem imminuas; & sit testatum omnibus vel extremis in regionibus, Florentiæ non deesse homines, qui virtutem maximi Regis mirentur, & colant. Vale Florentia, Idib. Nou. 1610.

Franciscus Bocchius amplitudini tuæ deditiss.

ORATIO FRANCISCI BOCCHII

De Laudibus Henrici IIII. Christianissimi Gallorum Regis.





IM lacrimarum maximam hodie post homines natos casus nobis atrocissimus affert; repentinis insidiis, prò supreme Deus, nobis ereptus est is, qui sua magnitudine animi cauere omnibus consueuerat; extinctus est humana fraude vir insignis, qui ceteris sapientia præstiterat, quem orbis terrarum militari virtute omnium semper prudentissimum, & inuictissimum cognouerat. Succubuit sceleri Henricus, Rex Gallorum, qui prospicere in posterum tam optimé didicerat; victus est malitia, qui re nulla vinci posse putabatur: oppressus est repente, qui per multos annos posthac victurus esse credebatur. O acerbitatē nullis antea seculis auditā? O peruersitatē crudelissimi hominis? vt quē satis venerari, satis colere nemo posset, inuentus sit, qui immanis, & impius vim afferret, & vita scelesto facinore priuaret? Sed tamen, ne nostra oratio plurimis lacrimis augeatur, nimisq; multis querelis studere videamur; Sedulò, quod nostri muneris est, persequamur; & de virtutibus viri inuictissimi nonnullis verbis cogitemus. Regium genus non necesse habet, vt res à prima origine repetatur; omnibus notum

sua

sua sponte, nullo loco intermissum, ius suũ nulla interrupta se-rie per multis seculis tuetur; in hac stirpe nominantur Reges virtute militari, & moribus clarissimis insignes; diuinis meritis celebrantur viri, qui sanctorum in numerum cooptati, ita sanctissimorum Pontificum testimonium, & sanctæ Ecclesiæ meruerunt, vt rem Gallicam admirabili quodam modo illustrarint. Præclaris rebus gestis cùm ius Ecclesiæ ab hominibus impiis defenderint (quod maximum est in rebus humanis) Christianissimi vocati sunt. Henricus ab iis initiis profectus quàm magnæ rei inseruiendum esset, animo prospiciens, dictu incredibile est, quàm multo labore se instituerit ad laudem, quàm magna industria animum ornarit, quàm Regiè ad summum se negotium comparauerit. Quæ futuro Regi necessaria erant primis ætatis temporibus didicit; iis rebus, quæ summis in occupationibus quærebantur, se ornauit; ciuilibus præceptis, & militaribus sapienter se muniuit, vt opportunè, & cùm vsus posceret, ad hominum salutem vteretur. Idcirco res nulla ei contigit tam repentina quæ inscientem inuenerit; nulla tam ardua, quam feliciter non confecerit. Summa ingenii vis hominem exacuit, vt hominum expectationi egregiè responderet, ius diceret scienter, commodè explicaret, & sanctissimè denique statueret. Quæ dignitatem sequebatur, magna erat potestas; quæ decus Regium comitabatur, summa erat maiestas; qui ornabat decorem, splendor eximius honestabat. Rex ipse tamen, ne superbia se efferret, ne insolētia sibi placeret magis, moderari magnitudini generis, & grauitati imperii solitus fuit; vt Regalibus ornamentis sublimia petens, tenuissimo tamen cultu contentus esse videretur. Demissè ille, & humaniter in summa potestate se gessit; fuit in eo maxime mirandum, morum simplicitas, & dignitas excelsa; quæ sua sponte disiunctissimæ in hoc viro insigniter copulatæ mirabiliter congruebant. Species Regia obiicitur, nihil, si attenderis, ea in Henrico magnificentius excogitari potest; vicissim res infima proponitur: nihil ea remissius reperitur. Vt & se Regem esse, cùm infimis se æquaret, & in rebus excelsis cùm versaretur, non differre à ceteris hominibus ostenderet. Hoc nomine omnium horarum hominem, sed sine imminutione maiestatis Regiæ omnino diceres. Cùm se ad causam defendendam contulisset, quę ab omnibus comprobata est, suscepit bella non animi causa, sed necessitate coactus; non postula-
uit

nit, quod esset alienum, sed ius suum requisiuit; nec bella ex bellis serere, sed finito bello nihil nisi pacem deportare domum cogitauit. Et profectò, si rem metiri ratione volumus, nihil ei fuit magis in optatis, quàm vt totum Regnum pace communiret; & quando id alia ratione assequi non posset, armorum præsidio vteretur. Henrico potissimùm contigit, quod populo Romano quondam vsuuenire consueuit; hic enim in pace bellum, in bello pacem quandoq; expertus est; dum foris hostem non habuit, digladiari inter se domi solitus est; Henricus verò in bello, multis, variisq; periculis imminentibus vel suspicione insidiarum omnino caruit; in pace, quæ sine periculis esse solet, humana fraude, vt videtis, victus est. O fragilitatem rerum humanarum miseram, & lubricam? ò spes fallaces, & inanes, quæ ante franguntur, & pereunt, quàm fructum aliquem impertiri expetētibus potuerint? Prò supreme Deus, fieri ne potest, hominem tanta audacia præditum reperiri, vt conculcatis virtutibus totum se tradat immanitati, humanitatis memoriam deponat, feritatem crudeliter induat, & rationi sibiq; ipsi furenter se immutet? Vt re ipsa experti sumus, rebus grauibus tractandis, magnorum hominum virtus quotidie expetitur, singulis pænè horis flagitatur; hæc nisi præstò est maximis in negotiis, videre licet quotidie, quàm multa mala magnis in ciuitatibus, temeritate impellente, oriantur, & quàm sint detrimentis grauibus subiectæ. Hæc, quoties opus est, firmis consiliis, recto itinere homines ducit, hæsitantes confirmat, ruentes sustinet, &, ne vspiam sit offensum, omnia sapientissimè conquirit. Cui nunc exploratum non est, quàm benè, quàm egregiè hæc ipsa virtus in hoc Henrico III. dominata sit, quàm in viro industrio, atq; experienti potuerit vehementer? qui, dum oculis sapientiæ in omnes partes se conuertit, ne deciperetur, omnia vidit, omnia scrutatus est, omnia deprehendit. Inscitiæ locus datus non est, non socordiæ, non remissioni animi; qui prospiciens, & vigilans, ne, se tenente clauum, Gallica Resp. detrimenti aliquid caperet, sed esset felix, & incolumis, omni tempore sapientissimè excubuit. Sed fuerit quamlibet inuictus, fuerit fortis, fuerit constans; virtus tamen hominis tanti non fuit, vt tempore ipso vim caueret, & repentinas insidias suæ salutis causa vitaret. Ceteris in rebus vt tam multas res sui Regni tam varias comprehēderet, tam difficiles, tam arduas complecteretur, magnis eum virtutibus adiutum credi-

derim

derim; viri enim boni, cùm se probitati regendos penitus tra-
diderint, facile, quod optant, assequuntur; diuinum numen
præstò est, menti lumen suppeditat, &, ne in suo itinere aber-
ret, fideliter gubernat. In re militari de illo verè dici potest,
quod summis ducibus admirandæ virtutis causa tribuitur, quòd
primus ante omnes prælium inire, vltimus conserto prælio ex-
cedere consueuerat. Consilio acer, fortis in periculis, sapien-
tia inuictus admirabilem se, & præstantissimum effecerat. Quo
ties in acie se ostentare, & fulgere in armis visus est, toties sibi
polliceri victoriam exercitus, & de summa rerum benè sperare
solitus est. Castra Regia discessu tanti viri spoliata virtute, si-
mul atque se dabat in conspectum, roborari mirabiliter, & re-
uiuiscere planè dixisses. In re militari res nulla erat, quam non
didicerit, nulla difficultas, quam non superarit, nullum pericu-
lum, quod vehementer à se timendum esse iudicarit. Virum in-
signem sæuissimis obiectum tempestatibus vndiq; cernimus,
qui cīctus ærumnosis laboribus, & maximis difficultatibus one-
ratus dum se exercet industriè, dum contra res asperas fortiter
luctatur, admiranda contentione animi dum pugnat, non mo-
do tot malis non succubuit, sed ingenti omnium admiratione
victoriam adeptus est. Iam verò quoties petitus periculis in-
columis euasit? quoties difficultatibus imminentibus aduersa-
riorum impetū elusit? quoties hostium minas pro nihilo puta-
uit? At dum in congressione hominum nimis liberè se gerit;
dum nimia magnitudine animi hominum custodias suo in tuen
do corpore recusat, oppressa est libertate libertas, & sui ipsius
neglectio nimia negligentia victa est. Ablegatus timor peri-
culum creauit; secuta ex periculo mors est, quę, vita dum viget,
ad eam labefactandam aditum nullum habere posse videbatur.
In dissoluta cura datus est insidiis locus, & ne esset impunè tam
magna neglectio, facilè perfecit. Quibus nunc verbis, dum
bellatum est, cunctorum locorum miseros casus prosequar?
quo eloquentię flumine florentis Regni ęrumnas deplorabo?
succumbam oneri, cui Henricus non succubuit; frangar tam
ærumnoso in negotio, in quo vir inuictus fractus non est; rem
arduam silentio prætéribo, quam ille fortissimo animo exce-
pit; quin in rebus dubiis, & planè desperatis, cúm rem procli-
natam milites inspicerent, dum inflammato animo certatur,
Henrico adueniente, tamquam sydere salutari, è vestigio re-
creati sunt. Tantum enim virtutis in hoc vno viro, tantum mi
litaris

litaris industrię consistere creditum est, vt eo præsente de rerũ euentu, de exitu pugnæ nemo dubitaret, sibique omnia prospe rè polliceretur. Me miserum; tam fortis animus, tam mirabiliter audax, tam necessario tempore Christiana in Repub. desiderabitur? virtus tam insignis in armis præsertim nequaquam amplius apparebit? pugnæ illę tam fortiter pugnatæ posthac vbi exurgent? obmutescent militares voces, quibus tam magnas victorias adepti sumus; vagabitur vis militiæ huc, atque illuc, & sedem, in qua consistat, non habebit; firmum hoc presidium requiretur frustra, quoties miles in hostium castris classicum cecinerit; non deerunt suæ occasioni aduersarii, qui trepidare ad nomen Henrici soliti sunt. Miseros populos, qui vita summi viri conquiescere solebant, nunc morte miserandum in modum destitutos? miseras ciuitates, quæ singulis horis ad sonitum armorum excitantur; miseras matrum familias, quæ quotidie liberis suis timere coguntur; miseram Rempub. Gallici Regni, quæ vastitati, & sæuitiæ addicta perpetuos bellorũ motus formidare, & crudeles rerum euentus cogitur experiri. Dum igitur res singulas inspicimus, dum mores nobilissimos perpendimus, dum vitam omni ex parte cumulatam virtutibus contemplamur, nonne attendimus, quàm grauis morte Henrici ex rerum magnitudine iactura facta sit, quàm sit lugendus vir insignis, quàm requirendus, quàm optandus? Iure optimo, viri honestissimi, vis ingens lacrimarum se profundit; cuncta Gallia se se commouet; non sine causa vnusquisque Regem tam beneficum, tam admirabilem desiderat; & in re tam misera minimè mirum, si mœrore se excruciat, & dolore inconsolabili se afflictat. Sed profectò vel insultantibus ęrumnis mens, quæ Deo se deuouit, non frangitur, sed confirmatur, nõ imminuitur, sed incenditur, non tentationibns vincitur, sed probatur; ille nec territus minis; nec defatigatus laboribus sublimia spectauit semper, & vt Dei voluntati inseruiret firmo animo, & forti cogitauit. Dum igitur periculis, & detrimentis crudeliter petitur, nequaquam in querelas effusus est, sed se ipso maior mira patientia multis ærumnis creuit ad laudem, & se ipsum ad magnas res obeundas roborauit. Vir bello clarus rei militaris insigniter edoctus, & ciuilis facultatis nauiter peritus, quoties fuit opus, vtramq; in partem versare ingenium

mirabiliter didicit.& quid res vtraq; expeteret,egregiè cognouit. Idcirco res nulla contigit tam aduersa, cui non restiterit, nulla tam repentina, quæ imparatum offenderit; nulla tam difficilis, cui succubuerit, aut victus sit. Hic vir vnus omnia videns,omnia prospiciens regnum, quod maximis agitatum procellis acceperat, quietum, & pacis legibus munitum suis posteris reliquit. Oculis in omnes partes egregiè intentis contigit nunquam, vt res aliqua vel subitò dormitantem inuenerit, vel oscitantem nimio otio deprehenderit:perpetuò cogitans, quid tot populi, quid tam multæ vrbes, quid omnes mortales suo in regno à se peterēt, vigilanti,& Regio animo nil timens cuncta salutariter cauebat, Fuit illi, quod mirabile est, voluptas in laboribus;deliciæ in angustiis,oblectatio in ærumnis; qui vt suis opem poscentibus prodesset, difficultates imminuit, multisq; commodis sui Regni Rempub: affecit.Regnū opulentissimum, & maximum post mortem Henrici III. (quæ res ad suum ipsius genus pertinebat) Henricus IIII. magnò animo suscepit, & cuncta negotia admirabili vigilantia,& Regia obiuit. Hostium genus multa exercitatione veteranum magnam Henrico difficultatem afferebat; constabat vterque exercitus fortissimis militibus; eandem edoctus disciplinam, eisdem penè in locis natus, eisdem moribus nutritus,vt multo sanguine constaret victoria, efficiebat. Genere igitur pares, disciplina non dissimiles, nullam in partem pugnandi consuetudine diuersi, si dimicaretur acie, vincendi difficultates augebant. Restabat ducum maximorum scientia,& virtus, quibus alter alterum victoria anteiret, & animi magnitudine superaret. Nunc verò,diiudicata re multis victoriis,quibus Henricus potitus est, satis iam exploratum est, eum omnibus nostri seculi ducibus præstitisse, militariq; laude omnium concessu superasse. Nemo fortasse in otio res gestas tot exercituum legit vmquam, quot Henricus fortiter copiis militaribus præfuit: qui sæpius cum hoste conflixit, quàm quisquā arma belli gerendi causa induerit: Non Cæsari, non Marcello concedit, qui acie dimicando tantum sibi laudis pepererunt. Ter hic signis collatis pugnans hostes maximis præliis deuicit; magnis exercitibus,trecentis oppugnandis, & recipiendis vrbibus ita militariter præfuit, vt ex eis ad suos summam victoriam

riam gloriosè deportarit. Quòd terribilibus armis aucta est difficultas, idcirco laus quoq; aucta est; vt iure optimo cũ vir summus summis cum ducibus comparandus esse videatur; Militandi etenim res durior est; ideo maximam laudem Henricus sibi hoc tempore iure optimo adsciscit. Multa non sine causa praetereo, iis, quae dicta sunt, consimilia; ita enim sunt eximia, vt, si expromerem, fidem fortasse propter magnum numerum non facerent, quae vir hic fortissimus ingenii, atque animi magnitudine peregit. Suscepit onus cunctis ex partibus periculosum, magnis cumulatum laboribus, cogitationibus arduis refertum; in quo per multos annos ita se gessit, vt nihil sit in eo meditatum temerè, nihil actum, nisi grauiter, & sapienter. Dum vixit, suos populos admirabili caritate complexus est; dum vnicuiq; consuluit, quantum diligeret, ostendit; dum ius praeterea dixit, quanti faceret suae Reipub. salutem, demonstrauit, Verebatur ille, ne Regnum sibi ipsi dissentiens populorum dissidiis scinderetur; &, vt concordia consentiret, sedulò studebat. Hoc nomine nullam recusabat molestiam, nullum formidabat periculum, nullum fugiebat laborem; quin etiam se ciuilium contentionum procellis obiiciebat; tentabat omnia, vt suis salutem afferret; &, vt sui voti compotes efficeret, laborabat. Misera omnino virorum principum conditio; quibus defatigatis conquiescere nõ licet: victisq; laboribus alii deinceps subitò succedunt. Magnis periculis superatis, grauissimis negotiis confectis, cunctis hominibus, quibus cognitus erat, ad summam expectationem excitatis, restabat deinde, vt se iterum periculis obiiceret, vt res militares magno animo obiret, vt quotidie de vita dimicaret: iniquè nimis profectò, & planè crudeliter proponebatur conditio, vt ad res easdem reuocaretur, in quibus quotidie versaretur luctus, quotidie lacrimae, & plurima mortis imago. Meruisset minus Magni cognomen Alexander ille Macedo, qui tres annos, & triginta tantummodo expleuit, si longior illi vita contigisset; ereptus enim omnium expectatione orbem terrarum nominis sui gloria impleuit. Magno Pompeio minus res eadem congruere visa est; qui multitudine annorum dum gloriam rerum gestarum augere enititur, quod egregiè partum erat, magna ex parte obscurauit: A magna

ergo Henricus gloria discessit, à rebus amplissimis nobis ereptus est; quàm multis ęrumnis, quàm grauibus se periculis implicuisset, si vita longior suppeditasset, & facultatem negotiorum occupatio, cur se exerceret, prębuisset? Nunc verò vnusquisque & gloriosis eum vocibus persequitur, &, quam fortasse requirit, misericordiam tribuit, & dignum maiore vita liberaliter existimat. Res magnas aggressus amplissimis se laudibus ornasset; quicquid tamen collegisset virtutis, repentinis posthac casibus subiecisset. Nunc circumfluens gloria, nobilibusque laudibus ornatus eo se decore communiuit, vt nulla vmquam ætas tam præclaris rebus gestis sit finem laudis allatura; Deo adiutus trophęis, & triumphis eò summa gloria peruenit, quò vel nemini, vel paucissimis licet aspirare. Hanc ipsam gloriosi nominis famam nec diuturnitas temporis imminuet, nec seculis futuris temeritas, aut casus obscuritatem allaturus est. Vim fortitudinis tota vita peregregiam intuemur, clementiam, liberalitatem ita admiramur, vt illa victos hostes, ceteris autem se ipsum à se ipso mirabiliter victum videamus. Vobis omnino notum est, quàm exploratis, quàm claris assensionibus nomen Henrici efferatur laudibus, quàm vbique secundo populo celebretur; qui probatus cunctis dum nobilissimis virtutibus se colligit, dum ad verum decus se exornat, facilè assecutus est, vt Regnum quàm opulentissimum suis liberis, multisq; præsidiis firmissimum reliquerit. Quid vnusquisque dicat, quid sentiat, quid iudicet, quid de negotio grauissimo statuat, & in recenti re audistis, & nunc etiam maximè cognoscitis. Et profectò si res, si vir, si tempus, atque opportunitas spectatur, in hac Henrici morte summa planè omnia sunt. Agitur enim de fortunis Gallici Regni; agitur de commodis Christianæ Reipub. agitur de familiæ suæ incolumitate: atque vt vno verbo concludam, in hac re salus omnium propemodũ continetur. Sanctæ enim Ecclesiæ partibus numerandis, quibus Christiana Respub. consistit, hæc vna portio Gallica iudicio omnium maxima censetur. Sed quæ res insignem hominem commouit, vt labores tam magnos obiret, vt curas tam sollicitas susciperet, nisi singularis virtutis amor, nisi incredibilis in Deũ pietas? cui fideliter addictus, cúm esset sanctitatis & probitatis iter ingressus, ita se claris moribus obstrinxit, vt

intueri

intueri verum omnino decus, & contemplari non destiterit. Vix, quo se reficeret, vel exiguum tempus ad animi remissionem tribuere solitus erat; districtus enim magnis negotiis, numquam solutus curis, numquam laboribus liber totum vitæ spatium traducere consueuerat; qui factus ad rerum magnitudinem, quicquid difficultatis proponeretur, exorbuit, semperq; ærumnosis negotiis se ipso maior omnia, à quibus ceteri vincuntur, superauit. Verbis numquam assequi possem, quàm valde in omni temporum motu fuerit constans, quàm in conuersione rerum stabilis, quàm magnis in tempestatibus firmus; circa quem sæpè cùm ruerent omnia, magno ille tamen animo semper fuit, seq; ipsum inuictum semper præstitit. Domuisse difficultates tam multas, tam duras ærumnas euasisse, casus tam varios superasse, si rem metiri ratione volumus, non sine diuini muneris præsidio omnino contigit. Iuuit eum virtus, patientia roborauit, quod benè cogitauit, firmitas animi ad exitum adduxit. Cùm putaret secum, quàm res magna esset, quàm salutaris diuina cum causa consentire, & Deo omnipotenti militare, dictu incredibile est, quàm vir summus euaserit, quàm egregius, quàm mirus; quicquid animo proposuerat, nauiter moliri, & conficere; quicquid cogitando molitus erat, persequi, & concludere consueuerat. Influebant in animum recta consilia, & præclara; oriebantur sensus omni ex parte probati, & admirabiles; & cùm res omnes, quas sibi sumpserat, ad votum egregiè succederent, ex quo fonte sanctissimè imbiberet, facilè apparebat. Mores insignes, quibus se ipsum, & totam vitam illustrauit, minimè ille tanti fecit, vt res postulare videbatur; quicquid enim ageret, quicquid cogitaret, maxima ille cum modestia, & demisissimè ad diuinam probitatem & benignitatem referre firmo animo consueuerat. Perspicimus humanitatem in hominum congressu, fortitudinem in periculis, clementiam in victoria, in rebus tractandis æquitatem, in moribus egregiis prudentiam; quibus virtutibus minimè ille ad speciem vsus est, sed iisdem graui iudicio se ornauit. &, quoties fuit opus, grauissima negotia confecit. O virum laude vsque quaque perhibendum? O animum cunctis ex partibus efferendum? Diuersis in locis, variis virtutibus vsus est, vt res quærebat; in bello fortitudini, in pace humanitati

multum

multum tribuit; minimè ille ceteras neglexit, quas in se coluit mirabiliter; hæ duæ tamen ita fuerũt ei in amoribus, vt ex iis constaret vir summus, & planè præcipuo quodammodo conflatus esse videretur. Res multas, ne sim longior, necessariò pænè silẽtio prætereo; quis enim benignitatem, vt æquum est, quis incredibilem liberalitatem, quis iustitiam, quis vitæ integritatem, quis miram in suos propensionem enarrabit? Tot enim se meritis vir amplissimus ornauit, tam multis beneficiis suos sibi populos obstrinxit, vt par pro pari referri numquam posſit. Sed crudelitatem opponere benignitati, immanitatem clementiæ, comitati sæuitiam, non id iam hominis est, sed mõstri omnino cuiusdam, & ferarum; vt quod ad miserationem in funere viri principis quondam dictum est, id ipsum nunc verius in Henrico dici posſit.

Men'seruasse, vt essent, qui me perderent? tantum iniquitatis, tantum immanitatis ab homine nefario adhibitum est; vt quod sibi scelestisſimè sumpsit, omnium cogitationes iam fugiat, cùm ferarum naturam omnem superet. Humanum sonitum vocis, & formam hominis tantummodo agnouimus; res ceteras, plus quàm monstri, plus quàm ferarum planè experti sumus. Finxit prisca ætas fuisse quondam duo monstra, quæ Italiæ, & Siciliæ litoribus insederunt, & dum nautas commeantes vltro, citroq; insectantur, naues opprimere, & mergere consueuerunt. Sed monstrum nefariæ crudelitatis hodiernis diebus vidit nostra ætas; quod Regium sanguinem sitiens, teterrima rabie impulsum ei vitam abstulit, qui, vt suis populis consuleret, diu victurus esse putabatur. O tempora, ò mores? cui nullum periculum vmquam obfuit in bello, nulla vis Martis perculit, inuenta est humana fraus, quæ cædem, & sanguinem anhelans in pace cunctas omnium insidias crudelitate scelestisſima superauit. Parcite lacrimis senes, quos durior sors ad hæc tempora referuauit; comprimite luctum iuuenes, quibus initio ætatis atrocisſimi monstri vis oblata est; Non lacrimis, mihi credite, non luctu quisquam vestrum satisfaciet; maiora quædam postulat res inaudita, & nefaria, simul atque coniugem iniquo tempore orbatam viro, familiam teneris annis inuolutam contemplabitur, atque ab odio inflammatus misericordiam admirabili quodam modo tribuet; & cùm hinc odium

stimulet

stimulet, hinc pietas confundat, dabit cogitandi res vtraque facultatem, nullo vmquam tempore contigisse, vt tantum facinus sceleris tam detestabilis contigerit. Dies, qui diem mortis præcessit (coronata est enim Maria Medices Henrici coniux) vt clarissimus fuit, ita is, qui secutus est, planè teterrimus. Hilarata est Lutetia sacra pompa, & splendidissima, sed dies proximus omnium animos luctuosis cogitationibus inuoluit. Mors repentina Regis tantum attulit doloris, tantum lacrimarum, vt de omni lætitia iam fuerit conclamatum; fugit à nobis hilaritas, fugit lætitia, fugit etiam spes, atque extrema gaudii tandem luctus occupauit. O diram vicissitudinem, & importunam? ò conditionem administrandi Regni fragilem, & luctuosam? defunctus vir eximius magnis ærumnis omnia iam se superasse iudicabat; victis periculis, quæ summis negotiis solent aduersari, firma quædam opinio venisse iam in portum cogitabat; exanclatis varii generis laboribus, nihil iam, quod obesse posset suis rebus, arbitrabatur. Renouata est, non dicam, crudelitas, sed rabies; sumpsit negotium immanitas, vt neci virum dederet innocentissimum; in qua re non odium, sed deprauata opinio scelus omnium scelestissimum peregit. Vel tuta omnia timent, quibus scelerata mens est; ad minimũ rumorem commouentur, quibus ob delicta eodem in statu conscientia non consistit: contrà verò vir simplex, nil timens, & inuictus omni tempore quietus esse poterat; vt facilè insidiatori locus esset apud eum, qui, cur timeret, nullam causam habebat. In re atrocissima cur vniuersa Gallia non se erexit? nõ gladium insidiatori de manu subitò extorsit? non corporum oppositus opposuit? non hominem crudelissimum à faciendo vulnere retraxit? cur belluam furoris stimulis incitatam non oppressit? Sed valuit fraus vehemens nimis; valuit vis repentina; potuit res nullo vmquam tempore perpetrata, vt omniũ cogitationes momento temporis superaret. Tu dexteram, vir iniquissime, qua in fide præstanda vti solemus, ad virum clarissimum occidendum porrexisti? tu vitiis, & sceleribus coopertus hominem suæ sibi fidentem innocentiæ ferro aggredi ausus es? tu nulla iniuria commotus, vt teterrimus esses gratis, Regem omnium maximè insignem extinxisti? tu appropinquare ad rhedam mente sacrilega pro nihilo putasti? tu Regem im-

puro

puro animo initiatum sacris oculis tuis inquinatis intueri potuisti? tu, dum ferire velles, te ipsum insigni maiestate viri deterritum non reuocasti? O portentum in vltimas terras deportandum? ô monstrum nec nostris, nec priscis seculis auditum? Proiectis legibus, conculcata pietate, reliquum est, vt qui rem Gallicam saluam velit, ad te veniat, mitissimè Deus, petitum opem; vt eam grauissimis procellis agitatam subleues, & quod in te maximum est, & salutare pro tua pietate præcipuè iuues. Res nostras, quibus floruit hoc Regnum, nunc parum firmas experti sumus; consiliis, quibus multum tribuimus, nemo est, qui confidat; spes facta est inanis, qua vnisquisque nitebatur; tuam idcirco erga nos gratiam expetimus; de cœlo tuum ad nos præsidium inuocamus; vt tuo impulsu Respub. subleuata cursum institutum salutariter prosequatur; & postea quam se tua virtute incitarit, ad salutem capessendam, te inuitante, feliciter accedat. Si res cunctas vestris ingenii ponderibus expenditis; si quicquid est crudelitatis, sæuitiæ consideratis, si quicquid est sceleris contemplamini, nihil nec tam impium, nec tam detestabile reperietis. Crudele est hominem quemuis sine causa extinguere; crudelius Regem iniquissimè interficere; nefarium facessere cuiquam negotium; magis nefarium morte subitò afficere; iniquum contra ius aliquid moliri; iniquius iuris auctorem vita crudeliter priuare; impium Dei ministrum in terris insectari; magis tamen impium Dei voluntati aduersari; scelestum quærere hominem ad cædem; scelestius viri salutaribus virtutibus muniti sanguinem effundere; detestabile Regem ferro adoriri; detestabilius Regem Christianissimum, cunctis gentibus venerandum è medio delere. Virum admirabilem crudelis fors, dum vixit, crudeliter exercuit; importuna vis quædam perpetuò insectata est; animus tamen generosè audax in rebus ærumnosis factus est amplior; constanter minis contra nitentium se opposuit; periculorum irruentium impetum fortiter excepit, atque hostium sæuitiam magna cum laude superauit. Locus præterea deliciis apud eum nullus fuit, nullus remissioni animi, nullus voluptati; clarissimis enim se virtutibus vndiq; cinxerat, atque ad id constantissimè vigilarat, ne vlla rei vllius labes ad se opprimendum posset aspirare. Ne quid mali irrumperet in summas occupationes, videte

vias

vias omnes (si rē benè perpendimus) penitus interclusas, aditus omnes occupatos; vt nisi vis quædā dira interuenisset, nullus periculis, nullus insidiis locus futurus esse videretur. Quod autem non posse fieri putabatur, audacia detestabilis viam inuenit; & vt, factu facile esset, vis atrox, & nefaria per fecit. Vos nunc fortissimi centuriones, qui dum ille viueret, tam egregiè floruistis, hoc tam graui casu sentire iam cœpistis, quàm magno ex statu vestra dignitas conciderit, vestra auctoritas sit imminuta, quàm omnis vis Martis in vobis fracta sit; quæ magnos exercitus regere, & gloriosè incitare ad victoriam consueuerat. Luget armorum dignitas, quæ viri fortissimi virtute viguerunt; cruciant se militares artes, quibus ad hoc vsque tempus non sine laude hoc Regnum opulentissimum stetit. Qui multum sapit, sollicito animo est, &, quorsum fluat res Gallica, animi pendet; vt nisi Dei omnipotentis prouidentia respiciat, maximæ vastitati addicta esse videatur. Maxima in præsidio probitatis iactura facta est, in subsidio innocentiæ, in tutela virtutis; omnis hilaritas, spes omnis in viri clarissimi obitu ceciderunt; deploratum est iam pęne de cunctis viribus, quibus ad virtutis opus vti consueuimus. quid? cunctis præsidiis destituti curà nobis ipsis opem non imploramus? at nostra vis omnis infirma est, & leuis; necessariorum, & familiarium beneuolentiam non requirimus? at vnusquisque sibi ipsi consulit, suumq; intuens emolumentum omnino aliorum vtilitates paruipendit. Timore inuicti exercitus terrebat Henricus hostes; simul atque appropinquare dictus est, quò sibi vnusquisque consuleret, salutem, proiectis armis, pacisci consueuerat; animo inimico Parisiorum vrbs multa perfecerat, hostiliter diu sese gesserat; vt si belli ius respiceres, nihil, nisi sæuum, atque atrox posset expectare. Aduentu Henrici ad vrbem, qui ad vindicandas iniurias properabat, subitò fracta est in Parisiis obstinatio, qui Henrico progressi obuiam, & petentes veniam eidem se dediderunt; nec victoris, sed pacificatoris more eum exceperunt. Non ille passus est vinci se ab ira vir inuictus, qui superatus precibus omnia, de quibus rogatus est, in fensissimis aduersariis concessit. Vox illa præclara audita est, vt, quorum animo pepercerat, parceretur etiam prædæ; re-

conderent milites vaginæ gladios, & victoriam, quæ vulnere, & sanguine gaudet, ignoscendo nobilitarent, Martemq; nouo vincendi genere illustrarent. Hic est ille, qui vt viri principes inter se dissidentes, pacato animo essent, nouo fœdere sæpissimè perfecit; hic est ille, qui, dum vtitur officio, non solum sapientissimi ducis, sed munere etiam fortissimi militis, rem perditam quandoque in præliis restituit; hic est ille, qui parua manu, vt re ipsa probatum est, magnos exercitus fudit, castris exuit, & fugauit. Iam verò cum faces iracundiæ in eum persępè iustissimæ causæ emitterent, quàm leni ille animo semper tulit, quàm tranquillo? qui, quasi ne leniter quidem perstrictus esset, & patienter se se gessit, & meliorem in partem rem accepit; crebroque vsuuenit, cùm in eum per homines iniquos vis molestiarum se ingens effudisset, vt eas exciperet hilariter, & naturæ suæ facilitate deuoraret. Contumelias profectò, & sui contemptum parùm attendit vir insignis; simul atque nocentē hominem, obloquentem in sui ignominiam, sed paulo post petentem veniam cognouit, factus est repente mitis, & misericors; petenti tribuit salutem, de qua desperauerat, pietatem largitus est, cùm sibi timeret vehementer; vt, qui belli, & pacis leges egregiè didicisset, fortissimus in bello, mitissimus in pace diceretur: Præterea victis, cùm staret fortiter à meliore causa, superari satius fuit, quàm vincere, & optatius vincentem non minus libenter, quam pacificatorem intueri. Quò sua probitas, simplexq; animus perspiceretur magis, casus admirabilis interuenit. Dum geritur bellum in Sabaudia, non nulli è suo numero ad Regem scribunt, versari suis in castris duos viros, qui, communicatis sensibus præstò essent, vt captarent occasionem, qua eum incautum opprimerent, & facto impetu occiderent. Quo in negotio ne facultas errandi præberetur, imagines etiam pictæ insidiatorum missæ sunt; res iam deprehensa cùm conueniret, & vultus similitudo planè congrueret, admonebatur à suis Rex, vt homines carceri includeret, & tormentis verum ab insidiatoribus exquireret. Noluit ille tamen suo iudicio confirmatus benè monentibus assentiri; affirmans vitam suam in manu Dei Opt. Max. sitam esse; cui potissimùm referebat acceptam, nulliusque sce-

leris

leris diutius ab eo impunitatem dari. Singulari quadam humanitate commouebat homines, inuitabat verbis ad petendum, donis inflammabat; & quò sua animi propensio esset testatiór, omnia polliceri, & præstare consueuit. Factus vir eximius ad liberalitatem sua sponte, simul atq; Rex salutatus est, dictu incredibile est, quàm valde hanc vim naturæ cumularit, animi magnitudinem amplificauerit, Regiis muneribus auxerit; hæc vna virtus largitatis, & magnanimitàtis ceteras virtutes superat, & continet. Hæc genus humanum singularibus beneficiis, & salutaribus auget; hæc hominem ipsum Deo quàm simillimum mirabiliter reddit. Efferebat se gaudio, dum liberaliter ageret, vir egregius; exultabat lætitia, quoties magnificentiæ opus exercebat; se ipsum verò factus maior salutem dando superabat. Quàm esset præditus summa pietate ædificata templa Henrici nomine toto Regno testantur; monimenta egregia declarant regali sumptu pristinum in splendorem restituta, quàm valdè illi religionis cultus cordi esset; Hoc nomine tributum est ab eo multum piis hominibus; sed viros Societatis IESV ita inflammato studio complexus est, ita coluit veris indiciis liberalitatis, & beneuolentiæ, vt in hoc negotio excolendo nihil sibi reliqui fecerit. Reuocauit Rex mitissimus, qui ex suo Regno ablegati fuerant; excepit redeuntes tam benignè vt non mediocriter fuerit illa offensio expetenda, quæ tam magno honore compensaretur. Nunc moribus sanctissimis, nobilissimisq; artibus insignes & Regis iudicium mirabiliter comprobant, suumq; opus instituendis adolescentibus egregiè illustrant. Legibus sacris hic vir summus multum tribuit; viris religiosis ita se dedidit, Summoque Pontifici pręcipuè; vt cùm Clementis VIII. gratiam exquireret, nihil eo modestius, nihil demissius esset in petendo; Ad hanc rem concedendam durior primò inuentus est Pontifex; qui tamen cùm eius animum nimis se abiicientem, atq; afflictantem inspiceret, vinci se demum passus est: atque Henricum vel absentem liberaliter complexus multò plus quàm quod ille peteret, dilargitus est. Iam verò aliis rebus animi sui sensus mirabiliter ostendit, quantopere esset sibi cordi sanctæ Ecclesię dignitas, & quàm illi valde in sacris

hominibus consultum esse vellet. Percrebuerat rumor multis in locis, esse in animo Turcarum Domino, vt fratres omnes Franciscanę familiæ finibus suis pellerentur; cuius rei causa rogatus Henricus legato suo scripsit, qui Bizantii Regio nomine commorabatur, vt ad ipsum Turcarum Dominũ suo nomine adiret, & magni beneficio loco rogaret, ne id faceret. Quod mandatum erat, tempore ipso legatus feliciter exhausit; atque eo pacto acta res est, vt ex Henrici sententia succederet. Quo tempore per viros principes sancta Hierusalem ex Infidelium manibus recuperata est, eodem penè Templariorum Equitum Ordo institutus est, vt peregrinos comitarentur, qui non sine periculo, vt viserent Sanctum IESV Christi sepulchrum vltro, citroque commeabant. Extinctis verò Templariis, barbarisq; hominibus cuncta tenentibus, magna pietatis iactura, extinctus etiam peregrinis mos est sacri itineris. Restabant nostra ætate sex Conuentus Franciscanę familiæ, qui vt Templarii faciebant peregrinos benignè exciperent, & quibus rebus possent, suis facultatibus iuuarent. Hos omnes si nunc Turcę sustulissent, extinctus etiam penitus mos esset sancti itineris, nullo præsidio relicto. Quòd nunc duret, id vni Henrico acceptum referendum est; qui vera pietate commotus cunctos mortales cunctis ex locis commeantes ad sepulchrum exquisito beneficio, & maximo affecit. Ex quo tandem Henricus vulnus accepit, exiguum intercessit tempus, donec è vita migraret; sed animo ad patientiam confirmato & vindictam sui proditoris in se oblitus est, & suæ salutis memor Deo demisissimè supplicauit; vt se in conspectum diuini numinis venturum pro sua pietate exciperet; & quando Christianissimi Regis nomen ferret, misericorditer intueretur, piisq; animis se aggregaret. Cùm gressu moribundo ad mortem festinaret, non defuit sibi vir experiens, & sapiens; qui dum se excutere enititur, suaq; in conscientia expianda totus est, morti obuiam factus diem extremum sanctissimè conclusit. Permagnus hic hominum, & mulierum concursus, cunctusq; Florentinus populus, qui, vt funus honestissimè celebretur, frequentissimè conuenit, quàm valde hęc summa laus sibi sit cordi; egregiè ostendit. Magnus verò Dux & sua sponte

impulsus, & affinitate commotus, dum honestandis exequiis præstò est, postea quam suo officio multis lacrimis respondit, nonne planissimé indicat, quàm cara fuerit sibi virtus Christianissimi Regis, & pietas? Hæc nunc atrata cohors quoties inspicitur, toties in cunctis doloris maximi renouat memoriam. Hæc Diui Laurentii Ecclesia tam pulchra, tam insignis atratis pannis cooperta dum attenditur, dum funalibus tota pænè inflammatur, & maximi Regis desiderium designat, &, quantus vir fuerit tota vita, facilè declarat. Felix omnino Gallia, si frui splendidissimis meritis tam summi Regis diutius contigisset; fortunata gens, si sua in tranquillitate durare potuisset; beata omnium voce, si intestinas insidias opportuno tempore cauisset: quæ dolore, & luctu inuoluta ad motus vel leuissimos nunc trepidat, nec sine timore, quorsum rerum summa decidat. planè consistit. Sed quod cunctis iam populis, cunctæq; Galliæ fœlix, & faustum est, omnipotenti Deo, Diuisque omnibus curæ est res Gallica; en præsto est Ludouicus Henrici filius, qui patri, diuino iuuante præsidio, feliciter succedit. Hic vel parente orbatus, clarissimisque moribus institutus ad nomen sanctissimi Regis excitatus res præclarissimas, & summa expectatione non indignas pollicetur. Sedulò curat, vt in se virtutis colligat quàm plurimum; quicquid enim sibi vel mali, vel boni contigerit, ad Gallicam Rempub. sentit pertinere. Quòd verò egregium maximè est tam paucis in annis, mirabiliter patrissat; &, vt respondeat orbis terrarum opinioni, admirabili quadam indole se comparat. Ludouici nomen, quo appellatur, igniculos suppeditat; spem maximi Regis iam exuscitat, & vt nomen vnà cum vita Sancti Ludouici in filio Henrici IIII. reuiuiscat, mirabiliter ostendit. Vt graues homines affirmant, per multum instar in ipso est; si accedet maturitas ætatis, augebitur virtus, & Sanctæ Ecclesiæ, vt credere dignum est, operam suam sanctissimè nauabit. Regina mater interea sibi ipsi non deest; & vbiq; in Regia vigilia summa virtute occurrit; omnia videt, omnia curat, ad noui Regis salutem omnia intelligit; fuit in tanta rerum perturbatione firmitatis, & constantię mirum exemplum; dedit vitæ, integritatis ea documenta, quibus & Gallica Resp. sub-

leuata

leuata eſt, & ne in caſu tam atroci mali aliquid amplius exurgeret, ſapientiſsimè prouidit. Hæc mulier lectiſsimis prædita moribus tantum virtutis, tantum in ſe virilis decoris collegit, vt dignitatem, qua magnificé ornata eſt, mirabiliter honeſtet, & Regis de ſe iudicium ſua ſapientia illuſtret. Fuit mira animi fortitudine, vt in ſententia permaneret; vt res, quas inſtituerat, aſſequeretur; vt perficeret, quod propoſitum erat; quo in negotio non labori, non vigilantiæ, ſibi ipſi denique non pepercit; & in rebus cùm ſecundis, tum etiam aduerſis nemo eam aut perturbatam vultu, aut commotam animo vidit vmquam. Tu nunc, mitiſsime Deus, qui terrarum orbem nimia fragilitate nutantem quotidie multiplici benignitate ſuſtentas, oculos tuos pietatis ad rem Gallicam conuerte; & qua parte laborantem inſpexeris, tuere, & cuſtodi; præſtò eſt enim gens militaris, & pugnax, vt ſanctiſsimis auſpiciis cunctis viribus Sanctam Eccleſiam defendat, arma expediat, & benè mereri de re Chriſtiana Repub. nullo tempore deſiſtat.

DIXI.

In supradicta Oratione nihil quod fidei, vel bonis moribus sit contrarium continetur.

Camillus Pandulphinius Canonicus Florent.

Facultatem impertimur imprimendi Florentiæ prædictam orationem, ordinibus consuetis seruatis die 30. Augusti 1610.

Petrus Nicolinus Vic. Generalis Florent.

Fr. Benedictus S. Off. Florent. Vicarius 2. Sept. 1610.

F. Cor. Flor. Inq. 30. Sept. 1610.

Stampisi secõdo gl'ordini questo di 14. di Sett. 1610.

Niccolò dell'Antella Senat.

